



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

4. De probabilitate, quam excipere quide[m] particulares debeant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

gratia, sint autem alij non dissimiles quatuor, qui negant, an post contractum matrimonium possit conjux reddere debitum sequendo negantes, an possit non reddere, sequendo affirmantes, posse utrumlibet docet Hurtad. *de matr. d. 1. diff. 9. n. 37.*

Quinto. Quid in eodem casu ante contractum Matrimonium, An scilicet possint contrahere? Posse docet Merolla *rom. 1. disputat. 3. cap. 3. dub. 2. n. 11. 12. 13.*

Sexto. Si probabile tibi sit aliquid vovisse, vel promississe, probabiliter contrarium, An possis non servare votum, vel promissionem? Posse docet Thom. Sanch. *lib. 1. de matr. disp. 9. num. 11. fine, & lib. 1. in d. decal. cap. 10. n. 36. ubi contrarius lib. 2. de matr. disp. 41. num. 36. posse item docet Ioan. Sanch. disp. 43. num. 2. Suar. de vot. in lib. 4. c. 5. num. 5.*

Septimo. Si sint quatuor fide digni, asserentes crumēnam plenam argento à me inventam esse Petri, alijs simili- bus quatuor asserentibus esse Pauli. An exi maluerio tradere illam possum, cum tam neuter hunc quam possi- dent posse cui maluerio docent viri docti consulti à Ioan. Sanch. *disp. 43. num. 53. licet contra doceat Castro P. tom. 1. tr. 1. o. n. 2. & 9. fine.*

Octavo. In jejuniis naturali quoad Euchariſtiam sus- cipiendam, si habes rationes probabiles quod sonue- rit media nox, & probabile quod non sequitur propter diversitatem, v. g. d. horum Horologiorum, de quibus non constat esse certo falsa, & comedas, An possis die tra- ſino communicare? Posse docet Thom. Sanch. *disp. 41. de matr. num. 40. Ioan. Sanch. d. 34. num. 30. §. propterea videtur.*

9. In his, inquam, & similibus, resoluitur posse nos complecti partem, quam citati Doctores tenent, posse & contrariam, quam tenent alij, quia nimirum etiam in aequalibus facti probationibus refidet nonnunquam in singulis partibus sua proxima, practicaque probabi- litas.

10. Video nonnullos contra sentire circa aliqua exem- pla ex his, propterea quod in illis militet melior conditio possidentis in alterutra ex partibus: lege Meroll. *rom. 1. d. 3. cap. 4. coroll. 1. & 2. Verum satis est nobis probabilem do- ctinam attulisse; cum nobis non sit necesse omnia fusè persequi. Non tamen gravari debet aliqua, adhuc super- addere, quæ ad maiorem præcedentium declarationem hic solent latè à Doctotibus agitari.*

§. IV. De probabilitate, quam excipere quædam Particulares debeant.

De Iudice.

1. Dico primò si sint rationes æqualiter probabiles circa factum inter civiles litigantes, Iudex non potest sequi quam maluerit opinionem, sed tenetur rem, modo mox explicando, dividere, sic Salas & Villalobos Coninch. Sanch. alijque apud Castro P. *tom. 1. tr. 1. d. 2. p. 10. num. 2. quibus adde Layman lib. 1. §. 3. num. 16. Ratio est, quia iuxta super dicta hic aliquid obstat, ne pro- babilem quamlibet opinionem Iudex sequatur: est quia, ipsum munus Iudicis. Præcibit enim lex, immodò ratio ipsa dicat, ut ex officio; vel ex pacto tacite inito cum Republica, Iudices inquirent diligenter quantum possint veritatem, & judicent secundum allegata, & probata, merita causa ponderando: adjudicent ergo rem melius probanti, vel si major ratio non adsit pro alterutro, dividant utrique.*

2. Quid si res sit individua? Aliqua ratione res componatur inter partes, dando uni rem, alteri æstimatio- nem suæ partis, & si sic litigantes quiescant, cum non sit major ratio, cur uni res adjudicetur, alteri pretium, forte poterit lis, quoad hoc, definiri: ita Merolla *rom. 1. d. 3. c. 4. d. 3. conc. 4. n. 170.*

3. Ex hac conclusione vides primò, cur privatus pos- sit auctoritate propria dare crumēnam illam modo di- centi Petro, vel Paulo, ut libuerit, idem autem non possit

Iudex ex officio, qui tenetur omnino eam dividere. Vide *suprà, §. precedente, n. 27. versu s. p. imo si sint.* Ratio enim est, quia Iudex debet sartatecta custodire à re merito causæ ex pacto inito cum Republica, cum privatus, quia à simili pacto liber existit, utatur iure suo sequendo opi- nionem, quam malit, probabilem; & sic illa circumstan- tia meritis Iudicis facit pro ipso proximè improbabi- lem illam opinionem, quæ proximè probabilis est pro privato.

4. Vides secundò, cur aliqui (& quidem meritò) li- mitent hanc conclusionem, ut Iudex in aliquibus civi- libus causis, puta dotis, matrimonij, libertatis, pupilli, peregrini, viduæ, locorum piorum, quæ sunt causæ privi- legiata, non possit rem dividere, sed obligetur ad fe- rendam sententiam pro his privilegiatis. Ratio enim est, quia lex, quam servare tenentur Iudices, decrevit, ut his in pari casu faveretur: id quod si est otium, vide fufius apud Doctores. *Lege cap. fin. de sem. & re judicata, Mascard. de prob. v. o. pinio. n. 14. conc. 1143. n. 10.*

5. Dico secundò, si rationes circa factum, inter cos- dem civiliter contendentes, probabilius pro uno probent, quam pro altero, tenetur Iudex probabilius probanti rem per suam sententiam adjudicare; sic Sanchez *disp. 44. num. 51. §. in secundò.* Ratio ducitur ex eodem prin- cipio, quia Iudex ex legibus, & pacto inito cum bono publico, ferre sententiam debet pro melius probante causam suam. Excipe, nisi majoritas probabilitatis sit adeo exigua ut (quia modica) pro nihilo reputanda sit, tunc enim recurendum erit ad præcedentem conclusio- nem n. 1. dictam.

6. Major autem probabilitas, omnibus diligenter à ju- dice, sive ex parte facti, sive etiam ex parte iuris perpen- sis, prudentis arbitrio est ponderanda, & quidem non ra- rò tanto potest esse major probabilitas, ut etiam si alter, cui minor probabilitas faver, possideat, debeat per Iudi- cem à possessione depelli: id enim Iudici ex officio incum- bit, ut dictum est.

7. Dico Tertiò. Si rationes circa jus probant æquali- ter pro collitigantibus civiliter, nec impediunt rationes circa factum, ut impediunt, si de facto alter possideat, vel quod dixi n. 4. Iudex non potest, ut ego certum pu- to, rem cui maluerit, adjudicare, sed modo paulò ante dictio debet rem dividere. Ratio efficax mihi videtur esse, quia non video, cur hic non militet eadem ratio ducta à Iudicis munere modo inculcata. Quæso, Lector, rem naviter perpende; nam summam pavitatem, ne di- cam identitatem, invenies. Dixi (ut ego certum puto) nam propter extrinsecam bonorum Doctotum authori- tatem, asserentem in hoc casu posse Iudicem pro suo amico, si maluerit, sententiam pronuntiare: potes id ut probabile, si velis, amplecti, cum limitationibus dictis *num. 4. Lege Merollam rom. 1. d. 3. c. 4. n. 182. Ita Sanchez in dec. lib. 1. c. 9. n. 45. Franciscus de Lugo p. 1. de cur. q. 8. num. 66. Texeda tom. 1. contra Mey. lib. 2. contr. 8. num. 15, alijque.*

8. Dico quartò. Multò magis res à Iudice dividenda, modo dicto, est in civilibus, si sint rationes tam circa jus, quam circa factum æqualiter probantes. Sic Merolla *l. cit. num. 166. Bannes. Sanchez. Layman, alijque apud eundem; id enim multò fortius probat dictum Iu- dices munus, ita ut aliqui, qui nobis adgerantur in præ- cedente conclusione, ultra hanc præsentem amplectan- tur.*

9. Dico quintò. Si rationes circa jus probent ma- gis pro uno, quam pro altero in litigantibus civiliter, non potest Iudex nec dividere etiam pro rata probabili- tatis, nec tribuere cui maluerit: sed ferre sententiam debet pro habente maiorem probabilitatem in iure: semper excipe, nisi majoritas esset exigua: nam tunc juxta regulam communem, *parum pro nihilo reputandum erit, & judicandum, ac si essent rationes æquales mo- do jamiam dicto.* Ita Sotus, Val. Tanner. Suar. Sanch. 2. Bissler. alijque, quos citat & sequitur Pater Bardi *de conse. d. 4. cap. 27. num. 10.* Ratio autem notui dicti est, ipsa

ipsum munus Iudicis toties repetitum, quod hic, ubi agitur de iure, juxta quod Respublica vult Iudices dirigere, permixtissime militat. Scio Doctores non infimam contrariationem asserere, ut Ioan. Sanch. Salomus, Salas, Texeda, Gaspar, Hurtardus, alique apud Bardil. c. putant enim in hoc casu posse iudicem, cui voluerit, rem adjudicare; quia semper probabiliter, atque adeo praeponderanter adjudicabit. Sed profecto non probabiliter proxime propter novam hic superadditam rationem muneris Iudicis: nolo tamen a probabilitate saltem extrinseca tantorum sententiarum Doctorum excludere.

Non nemo, videlicet P. Bardil. cit. a. num. 14. admitti hanc doctrinam in hoc quinto nostro dicto allatam, illamque peracriter probat, sed deinde c. num. 21. non admittit doctrinam a nobis modo num. 8. in quarto dicto traditam: Vt cum nec ipse tentat disparitatem asserere, ne solidam asserti posse mihi videtur.

10. Additum est autem semper in praedictis (civiliter) nam in criminalibus probabilibus puto Iudicem debere sententiam proferre in favorem rei iuxta rationes probabiles: sive rationes circa factum sint, sive circa jus, ac parvi facere debere rationes probabiles, immo & probabiliores: quae essent contra eundem reum; sic Merolla l. c. d. c. 4. num. 180. Ratio est, quia pro criminalibus superadditur illa nova ratio, puta dispositio legum reg. 11. de reg. juris, in 6. cum sunt parva iura obscura, reo favendum potius quam alicui. Per quas praescribitur ut quando iura parva non sunt clara, faveatur reo: at instantibus rationibus probabilibus pro reo, rationes contra ipsum omnino clares non sunt, faveatur ergo reo, reo, inquam, qui proprie sic dicitur in criminalibus nam in civilibus, is, qui urgetur, proprie vocatur conventus.

11. Non nego probabile esse Iudicem non teneri ad se ita gerendum, licet possit; id enim non ignobiles Doctores viz. Salomus, Sayr. apud Merollam l. c. asserunt, juxta quam opinionem nonnulla attulimus in exemplis, §. procedente, traditis.

12. Quandoquidem de Iudice sermo est: Quaro, ubi sunt Respublica creati plures Iudices pro causarum decisionibus, potestque licite unus se remittere sententiae alterius? Respondeo. Absolutè non potest, quia ideo Respublica plures exposcit, ut plurimum suffragio, atque adeo cum majori cautione res decernantur, atque ad id Iudices acceptando officium cum Collegis, se tacite obligant. Lege Valq. p. 2. d. 64. c. 2. n. 5.

13. Illud licitum puto posse unum deponere suam opinionem probabilem, & sequi opinionem alterius, quem doctum, moribusque integris & fortasse se meliorem cum fundamento credit: id enim non est se remittere alteri, nec relinquere cognitionem causae, sed est ipsum moveri ad decidendum ex principio extrinseco probabili, nempe ex autoritate sui Collegae viri docti, ac iusti. Ne igitur incidat in errorem numero procedente dictum contra pactum initum cum Republica, consideret Iudex causam; quod si nihil clarum occurrat contra opinionem alterius Collegae, tunc enim vero poterit, modo dicto, ius se probabili sententiae remittere.

De Advocato.

14. Is potest sequi probabilem opinionem in advocando, etiam probabiliorē relicta, dummodo de maiore probabilitate contrarij suum clientem admoneat. Sic Less. lib. 2. cap. 31. d. 9. Valq. p. 2. q. 19. art. 6. d. 64. cap. 1. num. 3. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 17. q. ultima. Ratio est, quia ex una parte Advocatus prudenter agit sententiam probabilem defendendo, & ex alia nulla lex id prohibet. Neque obstat tacitum pactum cum cliente, ne illum in periculum probabile amittendi causam dejiciat; jam enim huic malo occurrat, dum ei major adversarij probabilitas explicatur. Nec rursus obstat illud: In dubijs reo, & possessori est favendum, & illud modo dictum: In pari casu pro possessore, non obstat, inquam, nam

haec sive ad Iudicem, sive ad privatum, quoad sibi rem vendicandam diriguntur, non verò ad Advocatum, qui favore suo clientem omni meliori modo, quo sine calumniis potest semper concesserunt leges; si quidem is nulli injuriam facit, partem minus probabilem defendendo, quam quin denique Iudex pro habente melius ius sententiam proferet. Nec denique obstant expensae diligantibus iterum faciendae, nam ad id dat Advocato rationabilem causam illa sua probabilitas, & spes, illa quamvis modica, quam habet, ut causae bene ex utraque parte coram Iudice discussa, pro se, ut non tardè accidit, sententia proferatur.

De Doctore.

15. Is, a quo petitur consilium, potest illud dare iuxta probabilem opinionem, etiam relicta propria, immo & probabiliorē, quia semper consilium dat prudens: ita Castro P. tom. 1. tr. 1. d. 2. p. 3. Sayr. uterque Sanchez, Valq. apud eundem. Nam propter eandem rationem Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 9. num. 24. meritò concedit interrogantem, cui grata non est resolutio unius Doctoris posse quærere alium, qui benignius, sed tamen probabiliter loquatur.

Duas tamen adhibeo limitationes, primò quod si quis interroget tuam tuam stare tenentis, non alienam, quamvis probabiliorē. Secundo, communiter qui petit consilium in casibus ad suam conscientiam spectantibus semper intendit noscere, an partem sibi benigniorem sequi se peccato valeat, verbi gratia, si quis petit quid faciat de invento aere, nullo domino post diligentiam comparente, petit an sibi possit illud retinere, id quod, quia est probabile, licet etiam sit probabile debere pauperibus distribuere, illud non verò hoc consilium dare, tenentis ex suppositione, quod consilium dare suscepisti; sic idem ibid. num. 4. Unde indoctos Confessarios, qui semper putant se bene facere obligando poenitentes ad restitutionem, quia id semper est tutius, reprehendo. Sanè si id, quod est tutius, cognoscere voluissent, tuum consilium non expectassent, sed ex se restituisent. Verum tu, dum faves alteri, tuo huic clienti iniquus es, qui non vult, nec tenetur restituere, nisi omnino debeat.

16. Dum idem Doctor sive publicè, sive privatè doceat, peccat mortaliter, si falsam in te gravi doctrinam praesertim in moralibus doceat; quia sic graviter Auditores deipiunt, viamque pandit erroribus, atque peccatis, sic Castro P. tom. 1. tr. 1. d. 2. p. 3. num. 8. Docere tamen potest probabilis opinionem etiam praetermissis probabilioribus, modo non praevideat aliquid scandalum exiturum, quia sic jam se prudenter gerit, si quidem probabilem bene gerendi viam Auditoribus ostendit.

De Medico.

17. A Medico in medendo semper excipienda probabilior est opinio, ita Val. 2. d. 3. q. 2. versu Altero modo, apud Sanch. lib. 1. in Dec. cap. 9. num. 42. Nec sine peccato contra iustitiam aegroto probabile medicamentum applicabit; omisso cetero, vel probabiliorē. Sic Bresserus lib. 3. de cons. cap. 9. n. 125. Ratio est, quia id requiritur, seu pactum tacitum cum aegroto initum. Medicus enim, & aegrotus tacite conveniunt, ut quandoquidem agitur de salute, eamque Medicus suscipit (quamvis sine pretio) conservandam, omni meliori modo medicamenta porrigat. Nam propterea non est Medico concedendum ut experientiam faciat de suis medicamentis, etiam in desperatis; sic Azor. Corduba, Villalobos, alique cum Castro P. l. c. p. 9. num. 3. tum quia non licet morte proximi, quam certè accelerati saepe continget cum ejusmodi experimentis, licentiam comparare: tum quia non observaretur dictum pactum de medendo omni meliori modo.

18. In

18. In casu autem, quo duo sese offerant medicamenta cum equali probabilitate profutura, nec possit haberi certum, vel magis probabile, concedatur Medico libera electio; quia tunc prudenter se gerat, omnique meliori modo, quo tunc potest, agat, famulatur.

19. Denique, quando est æquale dubium, nec videtur potest an medicamentum profuturum sit, an nocivum, & aliud certum, vel probabile medicamentum, & aliud certum, vel probabile medicamentum, non adest, Valentiæ a. d. 3. q. 10. p. 2. vers. Non improbo, concedit adhiberi posse, Castro Palau l. c. p. 9. n. 5. negat concedi adhiberi posse, Sanchez l. c. p. 9. n. 5. fine, nisi in casu, quo (ut etiam notat Sanchez l. c. p. 9. n. 5. vide etiam l. 9. de matr. disp. 10. n. 18.) aliqua tandem spes videatur proficiendi. Ratio Castro Palau est, quia tunc Medicus proficiendi se exponere debet, quantum est ex se, sine necessitate se exponere periculo infirmi mortem accelerandi, quod nunquam licet. Ratio Valentia est, quia periculum ejusmodi dubie accelerationis satis superque compensatur ab illa spe licet dubia sanitatis. Tunc enim (addit hic Valentiæ) licet dubia sanitatis, quod ex Galeno fertur: *Inimice autem*. Vtraque sententia est probabilis, & ex affirmativa sequitur debere Medicum adhibere, quia, quandoquidem potest, debet omni meliori via decumbenti consulere.

De Ministro Sacramentorum

20. In conficiendis Sacramentis poterit eorum Minister sequi opinionem probabilem, etiam probabiliorē, nisi tamen obstat usus, & consuetudo Ecclesie, vel tacitum pactum cum suscipiente Sacramentum. Ita Vasq. l. 2. q. 19. art. 6. dub. 63. cap. 2. & 3. Basil. de Penit. l. 4. de matr. c. 25. n. 9. quibus addit alios apud Merollam l. 1. d. 3. c. 4. coroll. 3. Explico, qui, v. g. conferret Baptismum per illa verba: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Genitricis, & procedentis ab utroque*: quibus probabile est confici Sacramentum; vel qui eundem conferret in aqua rosacea; vel consecraret in pane facto ex frumento silvestri, quibus, quia est probabilis sententia in Philosophia aquam ex herbis extractam non differre ab aqua naturali, & frumentum illud non differre à vero tritico, quibus, inquam, est probabile, confici Sacramentum, non peccaret ex hoc capite sic conficiendo, quia qui juxta probabilem opinionem operatur, peccatum non committunt coram Deo; nec consequenter injuriam faciunt Sacramento. At quia adest Ecclesie gravissima consuetudo, ut Baptismus conferatur sub illa certa forma: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & in aqua naturali: atque Eucharistia in panis, indubitatoque tritico consecratur, graviter peccaret contra legem, qui secus extra necessitatem faceret: peccaret etiam contra iustitiam ille Baptizans ex eo capite, quia (sive sit Pater, filius, qui tenetur ex iustitia stipendij dati, sive sit aliud) tacite videtur contrahere cum suscipientibus, vel cum Ecclesia, ut in re tam gravi salutis spiritualis, quandoquidem munus ministrandi acceptat, omni meliori modo, quo tunc potest, suscipienti, famuletur iuxta dicta de Medico corporali, quæ hic applicanda proportionalliter sunt. Absolvere autem solum attritum cum attritione cognita, idem absolute semper Confessarius poenitentem potest, quia, sic confici Sacramentum Poenitentia, non est solum probabile, sed post Concilium Tridentinum est saltem moraliter certum. Propositiones de poen. d. 2. n. 56.

21. Quando autem adest probabilis opinio de jurisdictione, approbatione, vel simili dependente ab Ecclesia, potest quilibet juxta eam probabilem sententiam operari, in administrandis Sacramentis. Sic Less. l. 2. cap. 29. d. 68. Soar. 4. tom. in 3. p. d. 26. sect. 6. a. num. 7. alique. Adest, v. g. probabilis opinio, te, qui es Sacerdos, posse propter quandam Episcopi licentiam absolvere à peccatis, à censuris, à reservatis, vel posse assistere matrimonio, &c. potes absolvere, & assistere sine necessitate admonendi proximum de opinione contraria, quamvis

probabilior. Ratio est, quia in his casibus certò sit Sacramentum ex eo, quia quoties est probabilis opinio de similibus dependentibus ab Ecclesia potest, ipsa ex consensu tacito, & de præfenti ratihabitione supplet. seu confert jurisdictionem certam, ut fuscè apud Doctores Less. nat. l. c. Thom. Sanchez. lib. 2. de matrim. d. 22. n. 65. & in Decal. cap. 9. n. 35. Basil. de Pont. lib. 5. de matr. c. 19. num. 8. & cap. 20. num. 7.

22. Denique Confessarius dum agitur de peccato poenitentis potest sequi opinionem probabilem, neglecta etiam probabiliorē, ut item potest, immò interdum, sicuti docuimus, in methodo nostra confess. lib. 3. c. 9. §. 1. debet secundum opinionem probabilem poenitentis se gerere. Ratio est toties dicta, quia sic coram Deo prudenter agitur. Nec intervenit damnum ullum poenitentis; si quidem certissimum est nullum peccatum committi ab eo, qui secundum opinionem practicè probabilem operatur, unde sufficienter ad suscipiendam absolutionem erit is dispositus, si opinionem suam, quæ probabilis sit, velit excipere, & non aliam.

23. Hinc quando est probabile, peccatum aliquod non esse reservatum, licet sit probabile, & multo magis si sit solum dubium, reservatum esse, poterit Confessarius ordinarius licite, & valde ab illo absolvere, quia ex probabili opinione operabitur, quæ ex communi jam Doctorem sententia, dat jurisdictionem. Sæ Merolla l. 1. d. 3. c. 3. d. coroll. 23. num. 370.

24. Immò puto obligari Confessarium in hoc casu ad absolvendum, si quidem non absolvere, esset condemnare. Ita Ioan. Caramuell. l. 3. Theol. mor. n. 1346. Adde charitatem velle, ut si potes sine tuo incommodo (ut certè hic potes) non dimittas in absolutum poenitentem graviter ex mortali peccato laborantem. Non obligari tamen quando actio tenet ex parte Ministri puta Confessarii, notat de Lugo lib. 1. Resp. moral. d. 18. & ego dixi lib. 3. Method. Confessionis, cap. 9. §. 1. num. 4. in Addit. & iterum dicam cum Ioanne Sanchez, quando agam de Poenitentia lib. 5. cap. 5. §. 1. num. 39.

De Rege quoad bellum gerendum.

29. Rex, seu Respublica ad gerendum bellum, vel habet probabilitatem fundatam in jure, vel in facto. In jure est, quando adest opinio Doctorum, Regnum in aliquo certo casu posse ab aliis occupari. Fac, v. g. Regem alicujus Regni esse spurium, certè si adest opinio Doctorum probabilis, ejusmodi Regem licite posse suo Regno repelli, esse hæc probabilitas innixa in jure. Probabilitas fundata in facto est quando duo, pluresve Scripturis, vel testibus contendunt probare Regnum ad se pertinere.

30. Dico, in probabilitate orta ex jure quemlibet Regem licite bellum gerere contra alium posse. Sic Sanchez d. 44. a. n. 57. Ratio est quia, ut est toties dictum, potest quis sequi opinionem probabilem, omnia probabiliorē. Quid si alter possideat, ut est in casu proposito numero precedenti? Respondeo tunc ex mea sententia non posse, quia ut supra §. 3. n. 24. dixi, & mox numero sequenti repetam, possessionem favere possidenti est lex canonica ab omnibus observanda. An tunc recurrit valeat ad Iudices, mox tangam n. 33.

31. Dixi (ex mea sententia) nam ex bonorum authorum opinione posse video, qui, nihil obstante prædicta unius Regis possessione, putant in dicto casu ab alio Rege bello impeti Regem possidentem posse. Lege item Castrop. tomo 1. disputatione 2. part. 7. n. 1. Ioan. Sanchez. d. 44. n. 58.

32. Quid, si sit opinio practicè probabilis fundata probabiliter in jure, quod dictus Rex possit regnum ab alio possessum occupare? Respondeo tunc sanè, etiam in mea sententia posse, nec mirum, quia jam supponis eam opinionem esse practicè probabilem. At ego adverto, hanc nunquam fore opinionem practicè probabilem ex principiis intrinsecis) nam esto ex autoritate extrinsecæ

seca num. 31. dicta), posse Regnum ab alio Rege possessum occupari, si ejusmodi Rex cum probabilitate juris sit in ejus controversa possessione, quia nemo ut toties cantavimus, per hominem privatum (qualis profecto est Rex, vel Respublica quaecunque respectu alterius, qui sit suae absolutae potestatis) nemo, inquam, solitari potest à sua possessione, nisi certo moraliter coniter possidentem inique possidere.

33. In probabilitate, ex probationibus facti negant absolute plerique posse tunc Regem bellum gerere, sed debere recurri ad Iudices modo late tractato à Castro Palao l.c.n.5.

Sed sic est distinguendum. Potest Primo Regnum, de quo disceptatur, esse in possessione unius ex Regibus, & tunc ob probabilitatem ortam ex facti probatione non potest contra ipsum intentari bellum à alio Rege etiam probiores habente rationes facti: Ioan. Sanch. d. 64. num. 56. Ioan. de Lugo t. 1. de iust. d. 16. sect. 7. num. 98. quia obstat lex Canonica pluries repetita, cui omnes Fideles subfunt, quàmque nos supra §. 1. num. 14. attulimus, & inculcavimus.

Certe in hoc casu possessionis, quanto probatio facti ex probabilioribus rationibus uni favet Regi, & in casu, quem n. 30. huc remisimus, non est improbabile posse recurri ad Iudices eo modo, quo laudatus Castro P. l.c. prosequitur illum, si placet, adi; non enim nobis est orium ea, quae raro contingunt, universa percurrere.

34. Potest secundò dictum Regnum vacare, hoc est, in nullius Regis esse possessione, & tunc etiam nullus ex Regibus poterit in ejusmodi probabili facti probatione bellum gerere, ut Regnum occupet: ita Vasq. & Tanner, quos sequitur citatus Merolla tom. 1. d. 5. c. 4. dub. 3. n. 204. Ratio est, quia obstat ius Regni vacantis: dum enim non est certum ius pro aliquo ex Regibus, ipsum Regibus liberum manet, sic Salas p. 2. tr. 8. de unio. sect. 10. n. 128. apud Castro P. cit. n. 108. praevalet enim Regni libertas, si non constat de servitute. Quare tunc Regnum, vel se gubernet, vel se alterutri ex Regibus gubernandum sponte tradat, vel certe recuratur ad Iudices, eo modo, quo idem Castro Palao ibidem affert.

35. Postremò si certus sit Rex Regnum ab alio Rege possessum esse suum, illum admoneat, ut Regnum cōsignet domino: si renuat, bellum genere contra ipsum poterit. Ita Vasquez. Mol. Salas apud Castro P. cit. n. 13. Quamvis enim Rex, qui occupat Regnum, non cognoscat veritatem, adhuc iniuriam materialiter fecit, quam propulsare licet illi, qui de sua certus est.

De Militibus.

36. Milites denique, sive subditi, sive non subditi, alius Regis, cap. Quid culpatur 23. quæst. 1. sive actu serviant, sive ad bellum mercede conducantur, dum illis non constat de iniuria belli, possunt licite militare. Ita Valent. Vasquez, Sanchez, alique apud Castro P. max citandum. Ratio est quia cuilibet licitum est alterum juvare in re, quæ præstatur bona. Bona autem præsumitur donec non constat esse malam. Id certe ita se habet in bello suscepto à Principe Christiano; in suspecto enim ab Infideli difficilius iustitia præsumenda est. Suarez, Vasquez contra Thom. Sanchez lib. 6. in decis. cap. 3. n. 5. quos sequitur citatus Castro Palao tom. 1. tract. 1. disp. 2. part. 8. num. 8.

COLLATIO BENEFICII

in mensis reservato.

37. Beneficiarius in ultima nocte mensis Papæ reservati moritur, postquam unum ex Horologiis signum medietatis noctis dedit: sed aliud ex illis eandem noctem, per suum pulsus, signavit post mortem Beneficiarii. Quæritur, An possit providere de hoc Beneficio Episcopus, qui vult se conformare cum secundo Horologio, atque adeo judicare Beneficium vacasse in suo

mensis, An potius Pontifex summus, qui se conformare vult cum primo?

38. Dico posse quemlibet providere: & ille praevalere, qui prius conseret. Ratio est cruenta ex dictis, quia, cum Horologium quodlibet non aperte falsum faciat opinionem probabilem, probabile erit ius pro utroque, id est, Episcopo & Pontifice: Prævalere autem qui prius conseret, quia tunc subintrat Regula, quod: *Melior est conditio possidentis*, juxta jam dicta. Et certe passim Doct. firmant quando plures conserere possunt idem Beneficium, subsistere Provisionem quæ est prior tempore. Si res sit dubia, dicam inferius §. 7. v. Mensis. Vide etiam ibidem, v. Beneficium.

39. Dices. Provisus ab Ordinario, ut excludat provisionem à Pontifice, debet evidenter probare suam intentionem, & quod Beneficium sit libera collationis. Respondet id solum verum esse, quando Papa prius tempore providit, quando agitur de Beneficio, de qua dubitatur an sit reservatum: non autem quando agitur de expiratione mensis, & res est probabilis, pro Episcopo: nam tunc quia certum est Episcopum posse in suis mensibus providere, & duratio reservationis non est evidenter certa, imò est probabilis talem durationem non adesse, praevalere possessio iuris Episcopalis: Quare potius, debet evidenter adversarius probare, secus nihil faceret contra possessionem quam supponimus habere provivum ab Episcopo.

§. V. An liceat modo unam, modo alteram probabilem sententiam in eadem materia sequi.

1. Probabile est, verbi gratia, hoc vestigial injuste esse impositum: probabile item, esse impositum iuste: possumne ego hodie, quia sum exactor regius vestigialium, exigere ejusmodi vestigial, sequendo opinionem assertentem illud iuste esse impositum, atque adeo licere mihi sine iniuria illud exigere, & cras, imò etiam hodie quia sum mercator, illud occulte de fraudare, sequendo opinionem assertentem illud à iustitia deficere? Abstrahimus ab eo, quod exactor acceptando officium, promittit tacite sequi opinionem probabilem faventem Regi, juxta dicta §. 3. n. 20.

2. Probabile rursus est ablationem famæ pecunia compensari, probabile non compensari: possumne ego hodie infamatus velle ab infamante compensationem pecuniam, & cras, imò hodie ego ipse alium infamatum nollem famam proximi à me ablatam, compensare pecunia?

3. Probabile item, eo licere æquivocare in iudicio causa semiplena, probabile non licere: possumne ego hodie reus æquivocare, cras verò creatus Iudex cogere reum, ut non æquivocet? Hæc & innumerabilia ejusdem generis hic in controversiam vocantur.

4. Pater Franciscus Bardi in utraque Theologia vit nostræ Societatis eruditissimus, cuius familiaritatem ab hinc annis triginta, & amplius, cum in Collegio Romano cursui Theologico operam navavimus, contraxi, & deinceps similibus studiorum communicatione, fovimus utrique, & audivimus, Pater, inquam Bardi de conscientia, disp. 4. cap. 14. de hac opinione late disputat, & pro negativa sententia affert Cardinalem de Lugo Pasqualium, & Franciscum de Lugo.

5. Verum quidquid sit de autoribus, venio ad quæstionem. Asserto posse licite fieri ejusmodi variationem prout libet, tum in casibus relatis, n. 1. 2. & 3. tum in similibus, modò unam, vel alteram limitationem præ oculis habeas, quam max subdam. Ita Ioan. de Lugo de Euch. d. 15. sect. 2. alique. Ratio efficax hujus assertionis est, quia in nostra libertate est sequi quamcunque opinionem practice probabilem, si quidem eam sequendo semper prudenter humano more, ut supra sæpe dictum est, operabimur.

6. At ex hac sententia sequuntur sequentia incommoda. Primò, si hodie sit jejuniij dies, cras verò sit dies Dominica